



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

27. Decembris. Nimium cauti in rebus divinis rarò magna, atque heroica aggrediuntur: his namque manum non applicat, qui minutam quamlibet difficultatem, quæ occurrere posset, formidat. S. Ign. apud ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

odiote olim prosequendum; ita te, & tuas
fidas amico, ut nocere non possit, licet
velit. Quò vehementior est amor, tantò
citiùs in cinerem deficit, & affectui immoderato paria succedunt odia:

27. Decembris.

Nimium cauti in rebus divinis raro magna, atque heroica aggrediuntur: his namque manum non applicat, qui minutam quamlibet difficultatem, quae occurrere posset, formidat. S. Ign. apud Nolar. c. ult.

Qui ventos attendit, nec navigat, nec unquam seminat; quid fortè periculi, quid occurrere difficultatis possit? si scrupulosè metuas, nulla te unquam ad audendum aliquid inducet resolutio.

Parvuli sunt, quos quævis facilè terret umbra; quibus ætas, & virtus adulta, iis pectus contra difficultates magis est firmum. Sæpiùs opinio, quàm difficultas nos ab agendis revocat. Semper accincti, nunquam inchoamus.

Fortè periculum quod tantopere metuimus, nunquam eveniet; cur sumus ante causam miseri? qui felices esse possumus,

R 4

si

si timori spem substituamus. Nemo plus nos impedit, quàm ipsi; dum nimium sapere volumus, desipimus.

Frustra fatigaris, brevior humana est perspicacia, quàm ut prævideat universa; quæ suspicaris, nunquam evenient, fient autem, quæ tu non cogitas. Divinæ aliud quid providentiæ relinquendum, suus etiam spei dandus est locus.

28. Decembris.

Discussis, decretisque jam rebus, non ultimum dare debet consilium. S. Ign. ap. Bart. l. 3. n. 35.

PRudentia virtus non esset, si omnia, quæ nobis incidunt, consilia essent; quàm bellè tum omnia, & nihil inconsultò gereretur, sed ut non quodvis cerebrum Palladem, ità nec quævis incidentia, consilium parit.

Consilia, ut iis tutò uti possis, festina non sint; præcipitata enim facilè præcipitant. Ut una fax alteri, sic & cogitatio una lucem addit alteri, ut magis perspicuè, quid agendum sit, videas.

Multa impetus dicitur, qui justà, si temperetur morâ, damnabit, quæ ante proba-